

www.e-rara.ch

Ioachimi Mynsingeri Dentati a Frundek, iureconsulti, Neccharides

Münsinger von Frundek, Joachim

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3893>

Ioachimi Mynsingeri a Frundek, Neccharides, ad illustrissimum principem dn. Philippum
comitem Palatinum Rheni, ducem Bavariae, & ducatus Wirtenbergensis praesidem

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IOACHIMI MYNSINGERI

À FRVNDECK, NECCHARIDES, AD
illustriſſimũ Principem Dn. PHILIPPVM Co-
mitem Palatinũ Rheni, Ducem Ba-
uariæ, & ducatus Vuirten-
bergenſis Præſidem.



ST animus libare tuas, licet ora, PHI-
LIPPE,
Barbara ſint mihi, nec norint mea car-
mina fontes

*Aſcræos, tamen eſt animus percurrere laudes,
Exiguæ quantum nobis præſtare ualebunt
Ingenij uires: quando me ſuauius horti
Floribus inuitant, & amœno murmure riuus
Non procul hinc ſtrepitans: quando mihi uocibus Echo
Reſpondet ſocijs, perq̃; arua uirentia quercus
Proceras mulcent zephyri felicibus auris.*

*Sic mihi Phœbe ſacer, magni Iouis aurea proles,
Qui noctis pellens tenebras, & ſydera cœlo
Lucida diſcutiens, croceo uelatus amictu,
Suaue hominum generi lumen, ſuperisq̃; reportas,
Dexter ades, facilisq̃; meis allabere cœptis.*

*Et uos, quæ colitis latices, mea gaudia, Nymphæ
NECCHARIDES, uobis liquido quos Neccharus an-
Effundit genitor, molli per lubrica muſco (tro
Saxa fluens, mihi uos decet aſpirare canenti,
Meq̃; etiam ueſtris inuenem complectier ulnis,*

*Si modò phas quenquam mortali uoce referre,
Quæ fuerant immortalī uerba ore locuta.*

*At tu, Pieris ante alios quo gaudet alumno
Nostra, PHILIPPE decus patriæ, columenq; tuorū,
Et genus heroum, & Martis memorabile lumen,
Si te fortè uacare sinunt paulisper edaces,
Quæ te sollicitant, curæ, si pondera rerum
Ardua, quæ te circumstant, uarijque labores
Tantum ocij tribuunt, paulum diuertere Musas
Te iuuat ad suaues, placidoq; hæc carmina uultu,
Carmina quæ tenui tibi nos modulamur auena,
Florentes primæ dulci uix Vere iuuentæ,
Suscipere, & promissa tuis exordia gestis
Ne temnas: ubi maturos iam tempora foetus
Mi dederint mea, tum numeris grauioribus acta
Expediam, & uasum passim diffusa per orbem
Facta canam miranda, adsit modo dexter Apollo.
Interea has tenues ne dedignare camœnas,
Ipse etiam Lernæ domitor Tirynthius heros,
Pauperis est quondam dignatus rura Molorchi.*

*Nuncius ut sacras Nympharum perculit aures
Neccharidum, tibi iam patriæ moderamina nostræ
Commisssa à rege, egregijs compescit habenis
Fœcundam qui Pannoniam, fortesq; Bohemos,
Atque alios quos non datur hic memorare facultas:
A rege, omnes quem populi regesq; salutant*

Cæsarei

Ferdinandus
Roma. Hung.
& Bohe. Rex.

Cæsarei hæredem regni, qui nostra tueri
 Commoda, & inuiclo pro nobis corde labores
 Suscipere, & miseris posses succurrere rebus,
 Et motus fortunæ arctis compefcere uinculis,
 Officioq; boni, atque animosi præsidis uti.
 Quæ postquam patulis hauserunt auribus, alma,
 Haud mora, cunctarum perfundit corda uoluptas,
 Corda, diu multumq; graui languore sepulta,
 Extincti propter fata immatura GEORGI,
 Illum uitali quæ orbarunt lumine, pulchrum
 Actatis uer spirantem, roseamq; iuuentam,
 Et Martis decus eximium, & uirtutis alumnium
 Præstantem, & generis decus immortale paterni.
 At iam quid superes? (quæso) de corpore tali?
 An ubi iam uer id placidum, nitor ille iuuentæ,
 Excelsusq; animus? cuncta hæc mors perdidit una,
 Hæc Parcæ cuncta immites rapuere sub umbras,
 Atque illum rurisq; deæ, nemorumq; puellæ,
 Neccharidesq; etiam Nymphæ, fleuere peremptum,
 Hactenus & tristi squallebant omnia luctu.
 At nunc te quoniam prudens ex omnibus unum
 Delegit rex, qui nostri modereris habenas
 Imperij, simul & tali nos præside rursus
 Ornauit, languore animos exoluere longo
 Constituüt, lachrymasq; omnes abstergere Nymphæ,
 Grataq; lætanti iam carpere gaudia uultu,

Georgium
 Truchses Bare
 nem à Vualt-
 purg, intelligit

Atque tuum aduentum iusto celebrare paratu.

*Ergo ubi purpureo rutilantes lumine uultus
Extulerat, radijs iterum pater aureus orbem
Inficiens nitidis, rebus reddensq; colores,
Neccharides sua puniceis iam crura cothurnis
Euinctæ, & niueis indutæ uestibus omnes,
Cæsariemq; effusæ omnes per eburnea colla,
Pulchraq; odoratis implexæ tempora sertis,
Conueniunt subitò ad rorantia fontibus antra,
Serpentiq; hedera, & raris conspersa racemis
Labruscæ, fons perspicuis argenteus undis
Intus & electro, & perlucidior crystallo,
Atque etiam uiridi contecta sedilia musco.
At uero ingressus semper pubentibus herbis
Cingitur, ante aditus iucundi gramine flores
Multicolore nitent, sed & hic uiolæq; rosæq;
Assurgunt, & conspicui Narcissus amore
Deceptus fontis, ferruginei q; hyacinthi,
Et castia, & grato fragrantia lilia odore,
Thymbraq; & albentem uictura ligustra pruinam,
Et crocus aureus, & Veneri dilectus Adonis,
Mollis amaracus hic sensim se tollit in auras,
Calthaq; flammeolo fundit se picta colore,
Et quos mille parit florum natura creatrix.*

*Ergo ubi uirgineus Nympharum uenit ad antra
Cætus, Leucothoë pulchrum decus innuptarum,*

Leuco-

*Leucothoë, quam omnes mira pietate sorores
 Obseruant, reliquas quæ iussit ad antra uocari,
 Obuia procedit: qualem non flumina gignunt
 Eurotæ, non uirgineis spectata choreis
 Taygeti iuga. Nam qualis somno excita fulget
 Aurea Tithoni thalamos Aurora relinquens,
 Anxiaq; eoam spargens dux præuia lucem,
 Seu uer quale nouum, hybernæ post tempora brumæ
 Progrediens, terras aperit candore niuali:
 Sic quoque Leucothoë superans decora omnia coctus
 Virginei incedit, uenientes limine primo
 Excipiens socias quàm comiter, atque benigne,
 In thalami ducens exculti saxe a tecla.
 Incipiunt famulæ conuiuia læta parare,
 Et mensas nitidis pariter mantilibus altè
 Sternere, & ambrosijsq; epulis, dulciq; lyæo
 Ornare. Incipiunt omnes discumbere, opimis
 Vescantur simul ut dapibus, celebrentq; PHILIPPI
 Aduentum Ducis optatum, lucemq; lapillis
 Optatam niueis, Cretensi more, notandam.*

*At iam repletæ dapibus, uariaq; ciborum
 Iam strue semota, candenti corpore pollens
 Leucothoë lux Aonidum, atque edocta canendi,
 Vocales digitis chordas prætentat eburnis,
 Talia subiungens tactis dein carmina neruis,
 Carmina uicinis residens philomela sub umbris,*

Qualia deducta modulatur uoce frequenter:
 Concinit aut quales, humenti in gramine ripæ
 Propter aquam, modulos cygnus, uicinia mortis
 Ut uidet, & gaudet sese subducere uitæ,
 Personat, & socijs respondet uocibus Echo.

Quàm grauis, ò Nymphæ, nostros infecerit artus
 Hactenus, & semper turbarit pectora luctus,
 Absumpti propter crudelia fata GEORGI,
 Non ignoratis. Tantas uix ore querelas
 Halcyones sonuere, suum Ceyca peremptum
 Tempore quo fleuit, magno perculsa dolore,
 Illius interitum nos quantum fleuimus ægræ.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Qui postquam exutus membris, & lumine cassus,
 Aeternas adiit sedes candentis olympi,
 Sæpe quidem nostris pulsauius æthera uotis
 Vobiscum, sociæ, semel ut Iouis alma potestas
 Omnigena, iuuenem è cœlo uirtute potentem
 Mitteret, & simili decoraret præside terras,
 Irriguis genitor quas Neccharus alluit undis.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Annuuit en nobis placidè Saturnius heros,
 Iamq; uenit promissa dies, iam debita tandem
 Tempora producunt, fatalia stamina Parcæ
 Textentes: tandem surgit lux aurea cœlo,
 Quæ nobis referet pulchris uirtutibus auctum

Heroa,

*Heroa, imperium nostrum qui ritè gubernet.
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Quare nunc animo liceat deponere curas,
Quæ nobis mœstæ uenerunt agmine longo
Hæclenus, atque iterum solito splendescere uultu,
Recloriq; deum meritas persolvere grates,
Quandoquidem optato decoramur præside rursus,
Præside, qui mente excelsa, studioq; fideli
Curabit, ne res capiat quid publica damni,
Votaq; nostra suum retulerunt pondus ubiq;
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Cornipedem quis se citius super ederet altum?
Quis cupidum cursus freno compefceret arcto
Doctius? aut tardum laxis agitare habenis?
Seu modò directo libeat per iugera cursu
Currere, seu crebro potius contendere gyro.
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Et nobis persæpe quidem pulcherrima Glauce,
Glauce quæ uitreum Rheni patris incolit antrum,
Quam miro unanimes Nymphæ uenerantur honore,
Rettulit, illius ut Pallas, quo tempore primum
Vitales teneris carpsisset flatibus auras,
Armorum, sophiæq; dea, ad cunabula prima
Concinuisset, & huic iucundo carmine somnos
Officiosa induxisset, sapientia & armis
Erudiens animum, atque inspirans robora menti.*

Dux Philip-
pus præses Vuir
tenbergeñ. du
catus.

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

*Ergo domi atq; foris uirtutum cura sub alto
 Illi pectore peruigilat, prudentiaq; alnum
 Consilium secum referens, componere pugnae
 Sic didicit facies, & stricte cominus ense
 Pugnare, atque etiam ualidas agere eminus hastas,
 Impeteq; ignifero magnas impellere glandes.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

Viennæ Au-
 strię obsidioni
 interfuit Dux
 Philippus.

*Quid memorem, ut nuper Turcarum corpora mille
 Strauerit, insignem studio expugnare Viennam
 Aggreditur dum magnæ Asiæ detentor & heros?
 Qui, ueluti tumidus numeroso milite Xerxes
 Inachias quondam penitus tremefecerat oras,
 Sic etiam intonuit multa legione superbus,
 Pannoniæ inuictam cupiens sua sub iuga gentem
 Mittere, barbaricis & eam compefcere uinctis.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Qui postquam cinxit dura obsidione Viennam,
 Tum uero regina urbis formosa Vienna
 Mœsta sedens, scissisq; genis, scissoq; capillo,
 Effundens lachrymas & tundens pectora palmis,
 Excidium pauet & trepidans, crudelia fata
 Expectat, summamq; diem, tempusq; supremum
 Aduenisse putat. Veluti cum parua uolucris
 Fallaci inhærens laqueo, atque interlita uisco,
 Accipitrisq; famem timet, & duri aucupis iram.*

Dicite

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

*At belli non ille finit se fluctibus ullis
Submergi, manet atque illi imperterrita semper
Mens: nec enim metuit uirtus, neque laeditur unquam.
Incitat ergò alios pulchrarum ad præmia laudum,
Ad belliq; facem, & Martis decora inclyta iusti
Elato subeunda animo, & præstantibus ausis.*

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

*Ipsè quot, & quantos Turcarum strauit aceruos,
Milite stipatus forti, portisq; reclusis,
Quum medios excelsò animo prorupit in hostes?
Obuia quæq; secans letali corpora ferro,
Non secus ac niuibus flumen brumalibus auctum,
Seu ueluti præceptis montano flumine torrens
Saxa rotat secum, & latè quæque obuia quassat
Fluctibus insanis, & uorticibus uiolentis.*

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

*Hic gentem nuper gelida quæ uenit ab Arclo,
Pannoniæ sese passimq; effudit in agros,
Reppulit, & procul hinc horrenda strage repressit,
Atque urbem duratandem obsidione leuauit.
Ergo ducem læto nostrum clamore sequamur,
Victor iò, bellator iò, ter maxime Præses.*

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

*Tæstis adest locuples, fluuiorum Danubius rex,
Ignotum Latijs referens annalibus ortum,*

Cui uarij occurrunt amnes, ipsumq; saluant
 Regem, quos lato spatiosior accipit alueo,
 Pannoniæq; terens liquidis sola pinguis lymphis
 Labitur, & cursu terras fecundat amœno
 Innumeras, tot collectis iamq; amnibus auclius,
 Euxinum ingreditur septena per ostia pontum.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Ille etenim sensit tum, quum sua flumina cursum
 Corpora per tot cæsa uirum serpentina, uix tandem
 Inuenere suum, Nymphis quò fortè tributum
 Aequoreis iusto cum fœnore soluere possent.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Ergo dum refluxis stabit circumdata tellus
 Fluctibus inconcussa, suo dum sydera lapsu
 Voluentur, donec terras sol crinibus aureis
 Lustrabit, Phœbeq; soror dum argentea noctes
 Ornabit, dum diues aquis, uastoq; meatu
 Cymbrica se rapidus diffundet in æquora Rhenus,
 Egregij uiuet decus immortale PHILIPPI,
 Viuet, & æternos durabit nomen in annos.
 Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Non illum rigor austerus, ciliūq; superbum,
 Quod populi in primis gelida formidine pectus
 Afficit, atque intinctum odium parit inde ueneno
 Letali, tenet: assiduè sed fronte serena
 Fulget, & ambrosiam præ se fert ore loquelam,

Et

Et placido, & miti, & mansueto pectore cultus.

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Verum ubi tempus adest fontes punire, reosq;

Fungitur officio iuris, legumq; sacrarum,

Supplicio fontes merito, poenaeq; coercens.

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Non corpus finit unquam, animū aut languescere pul-

Ocia sed penitus, luxumq; perosus inertem. (chrum,

Publica quum forsā torquere negocia cessant,

Tum solet aut lepores agitare, aut figere ceruos,

Umbrosos uigili saltus indagine lustrans,

Et uarios peragrans anfractus, inuiaq; arua.

Desidias etenim molles, mala & ocia pellit,

Exercetq; etiam corpus uenatio crebra.

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

Præditus est quia tot Princeps uirtutibus ille,

Qui nunc adueniet multa stipante caterua,

Imperij capiens tandem moderamina nostri,

Quò mihi si Musæ Parnassia limina pandant,

Vix ualeam numerare, sonoq; amplectier ullo:

Idcirco illius aduentu nunc sydera mundo

Cessere aduersa, & læto nunc Iuppiter orbe

Regnat, & auratum diffundit lucida cœlum

Lumina, curarumq; obliuia cuncta recedunt,

Inq; locum illorum ueniunt cantusq; choriq;

Gaudiaq; plaususq; & uultu læta sereno

Venatio decet
Principem.

*Lætitia, atque animi nubes depellere docta.
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Sed quid hoc est? uestras, sociæ, quæso, arrigite aures:
Iam pulsa altisonis resonant tinnitibus æra
Turribus in celsis, iam fulminat ænea bombis
Machina terrificis, mira Vulcanus ab arte
Quam facit, inuictos olim dum Theutonas armat,
Dum genus humanum magni Iouis instruit armis.
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

Stutgardia me-
tropolis Duca-
tus Vuirtenber-
gensis.

*Scilicet, ingreditur tandem fortissimus heros
Mœnia, ter quater & Baccho, Stutgardia, amata,
Cinctaq; præcipue Lenæi gurgitis unda,
Sceptra suæ dudum fidei commissa capeffens
Omne felici. Signum mihi læuus ab alto
Æthere cum tonitru, fulgor de parte serena
Dat cœli, multo fulgens cum lumine fulgor.
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Iam tandem nostris succedit sedibus heros
Inclutus, & nulli inferior pietate, nec armis:
Quem confecti ætate senes, quem pulchra iuuentus,
Quem pueri, & cupide matres, multaq; puellæ
Insignes roseo, expectant per mœnia dudum.
Deniq; iam uideo populis lætantibus urbem
Gaudia concipere, & uenienti assurgere patres
Heroo, commendantes natosq; domosq;
Vasq; & uxores, & prædia, & arua benignè.*

Dicite

Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.

*En uarios tellus, uario tibi flore colores
Effundit, frondes spargit tibi sylua comantes,
Pabula centeno surgunt tibi fœnore læta,
Messe tibi alma Ceres campos, atque horrea complet,
Crebra tument tibi pampineis uineta racemis,
Necnon cœruleis alitur tibi piscis in undis,
Quem tu, si libeat, sinuosa in retia cogas.
Quid quæris? pleno aspirat bona copia cornu.
Dicite solennes, mea carmina, dicite cantus.*

*Ergo, Palatinæ lux ò clarissima gentis,
Te quoniam cuncti iuuenesq; senesq; precantur,
In te coniungunt solum quia lumina cuncti,
In te spes referunt positas, omnemq; salutem,
Huc neruos intende tuos, operamq; laboremq;
Impende, & studium, commissum & ouile coërce.
Sarcina magna tuis humeris sedet: attamen illa
Quam cuncti super astra ferunt, illa indyta uirtus,
Tantarum facile molemq; & pondera rerum
Sustinet, atq; inconcussæ præstantia mentis.
Claudite nunc tandem, mea carmina, claudite cantus.*